

non ligentur, sed sint puniendi pœna extraordinaria, et arbitraria: probabilior tamen, et juri conformior est opposita sententia Glossæ, et Abbatis; tum quia in cit. c. *Cum in cunctis*, h. t. etiam fit sermo de electione inferiorum, nempe decanorum, archidiaconorum, et aliorum curatorum; et sola pœna suspensionis, non item privationis facultatis eligendi pro una vice, restringitur ad electionem episcoporum in sæpe cit. c. *Si compromissarius*, h. t. in 6; tum quia, quod scienter eligentes indignum ad inferiores prælaturas, vel beneficia, priventur potestate eligendi pro una vice, præter cit. c. *Cum in cunctis*, § *Clerici*, etiam per alia posteriora jura satis exprimitur; uti patet ex c. *Dudum*, 22, h. t. loquente de electione ad præposituram, et c. *Perpetuo*, 7, et c. *Quantum*, 18, eod. in 6. Justum quippe est, ut eligentes scienter indignum puniantur in eo, in quo deliquerunt; sicque potestate eligendi, qua semel fuerunt abusi, pro una saltem vice priventur. Secus est de suspensione a beneficiis: nam, quia per electionem indigni in episcopum specialiter læditur Ecclesia, non autem per electionem ad inferiores prælaturas, vel beneficia, dicta pœna merito ad illam solam restringenda censetur in cit. c. *Si compromissarius*, h. t. in 6, et præter Glossam loc. cit. notat ibidem Layman n. 5; Pirhing, h. t. num. 43, et alii.

269. *Electio prælati in ecclesia viduata, si fiat non servata forma* c. Quia propter, h. t. est ipso jure nulla. — Quæritur III. Quæ sit pœna eorum, qui eligunt prælatum in ecclesia viduata, non servata forma scrutinii, in c. *Quia propter*, 42, h. t. præscripta? Resp. I. Hujusmodi electio imprimis est ipso jure irrita. Ita communis: et patet ex textu illius capituli, ubi: « Aliter electio facta non valeat. »

270. *Quod tamen limitatur.* — Intellige tamen istud imprimis de electionibus illorum prælatorum, per quorum mortem censetur ecclesia viduata, juxta dicta superius § 5, numer. 110 et 111. Deinde id ipsum limitatur, dummodo non habeatur speciale privilegium apostolicum de alia electionis forma tenenda, aut de una vel altera conditione scrutinii omittenda; arg. c. *Abbate*, § *Contra*, de *Verb. signif.* Aut nisi consuetudinem legitime præscriptam aliud alicubi fuerit introductum, arg. cap. ult. de *Consuet.*

371. *Quando adsunt pauci electores, v. g. duo, vel tres tantum, non obligat* c. Quia propter, h. t. — Ulterius limitatur allata conclu-

sio, quando adsunt pauci electores, videlicet duo, vel tres tantum: tunc enim non tenentur (cum nec possint) servare præscriptam in cit. c. *Quia propter*, h. t. formam scrutinii, assumendo videlicet tres scrutatores de collegio, cum ipsi constituant totum collegium. Et ratio ulterior est: quia pro tali casu, sive ad duos, vel tres solum electores, non potest adaptari intentio, seu mens dictæ Decretalis *Quia propter*, et per consequens ea hic cessat, arg. 1. *Ita autem*, ff. de *Administrat. et pericul. tutor.* Innocentius in d. c. *Quia propter*, num. 5, h. t.; Ancharanus in c. *Nullus*, 1, n. 3, eod. et alii.

272. *Quid agendum, si mortuo episcopo, et cæteris canonicis, remansit unicus canonicus?* — Quod si quæras, quid igitur in tali casu agendum, quando videlicet mortuo episcopo, et cæteris canonicis ecclesiæ cathedralis, solummodo tres, duo, vel etiam unicus horum remansit? Resp. Quando remansit unicus canonicus, tunc jus capituli, seu universitatis remanet in illo uno, 1. *Sicut municipum*, § fin. ff. *Quod cujusque univers.* ac notat Glossa magna in c. *Gratum*, et Abbas ibid. n. 9, de *Postulat. prælati*. Licet igitur talis non possit eligere seipsum in episcopum (quia censeretur ambitiosus, et hoc ipso repellendus: ut c. *Per nostras*, 16, de *Jure patronat.* cum similibus) poterit tamen eligere extraneum: aut si nolit, censetur electus a jure, et sic potest a superiore confirmari, si cæteroque dignus existat. Passerinus cap. xviii, de *Election.* num. 70, citans alios.

273. *Vel si remanserunt duo?* — Deinde, quando duo tantum remanserunt, possunt illi vel eligere extraneum, si consentiant; vel compromittere limitate in aliquem, ut is unum ex ipsis duobus eligat: alioquin vero, cum neuter eorum possit eligere seipsum, inter ipsos nequit dari electio concurs et votis majoribus celebrata, nisi unus eorum velit renuntiare juri eligendi: hoc autem facto, si eligatur ab altero concanonico, censetur rite electus. Ancharanus cit. n. 3; Passerinus n. 72. Fatendum tamen, quod Abbas c. *Cum in jure*, 33, n. 5, in fin. h. t. post Joan. Andreæ sentiat, quod in tali casu possit unus eligere alterum, et electus consentiendo electioni suæ augere numerum, adeo ut electio dicatur facta non ab uno, sed a toto capitulo. Et hujusmodi ratio esse potest: quia duo illi electores non tenentur ad legem scrutinii, et possunt publice inter se eligere; cum unus non possit alterum

secreto scrutari, sicque forma scrutinii tunc sit observatu impossibilis. Abbas part. II, consil. 23, n. 2. Verum prior sententia est tutior.

274. *Aut tres canonici?* — Tandem, quando tres canonici supersunt, tunc vel tres extranei assumantur in scrutatores, juxta doctrinam Glossæ in c. *Quia propter*, vers. *Viris*, h. t. Vel ex ipsis duo semper, ac singillatim, scrutentur tertium in scriptis votantem, donec omnes tres sua vota dederint: atque electus a duobus prævalebit, ejusque electio erit valida, dummodo aliud canonicum non obstat.

275. *Electus contra formam* c. Quia propter, h. t. est tutus in conscientia, si nemo sese opponat electioni. — Insuper circa datam, num. 269, conclusionem, est notandum cum Laymano in d. c. *Quia propter*, n. 13, h. t. et aliis, quod electio contra formam citatæ Decretalis celebrata, eatenus solum ipso jure censeatur irrita, quatenus per sententiam declaratoriam judicis rescindi potest, perinde ac si ab initio penitus non substitisset. Alioquin vero, si non rescindatur, eo quod nemo sit, qui eam impugnet, neque ad eam rescindendam superior ex officio moveatur, electus prælaturam acceptans, et retinens, tutus manet in conscientia; cum naturalis obligatio, atque jus ex eligentium consensu jam ortum subsistat. Hoc ipsum amplius probatur ex dictis tit. de *Constitutionibus*, § 14, nu. 255, et 256, et seqq.

276. *Eligentes non servata debita forma pro una vice eligendi potestate privantur, non quidem ipso jure, sed per sententiam.* — Resp. II. Ulterius capitulares, qui non servata debita forma scrutinii electionem faciunt, pro ea vice eligendi potestate privantur, quamvis hæc pœna non infligatur ipso jure, sed primum per sententiam judicis sit inferenda. Ita doctores passim; idque patet ex sæpe cit. c. *Quia propter*, h. t. ubi: « Qui vero contra præfatas formas eligere præsumserint, eligendi ea vice potestate priventur. » Ubi Glossa communiter recepta ait: « Priventur per sententiam, non ipso jure. » Concordat c. *Cumana*, 50, § fin. h. t. juncta Glossa fin. ibid.

277. *Econtra eligentes indignum, sunt ipso jure privati; et que disparitas?* — Nec obstat c. *Cum in cunctis*, 7, h. t. ubi eligentes indignum, ipso jure privantur potestate eligendi pro una vice. Resp. enim hoc procedere, cum peccatur eligendo ex certa scientia personam indignam: secus autem, quando

peccatur solummodo contra formam in c. *Quia propter*, h. t. præscriptam, electio tamen facta est de persona idonea. Qui enim plus peccant, magisque offendunt Ecclesiam, scienter eligentes personam indignam, quam non servantes dictam formam, merito major pœna imponitur in uno casu, quam in altero; sicque dicta pœna privationis ibi incurritur ipso jure, hic autem solummodo per sententiam. Glossa fin. ubi supra. Abbas c. *Quia propter*, § *Nisi*, n. 3, et alii.

278. *Quæ sit pœna non eligentium intra tempus a jure præfixum.* In Ecclesiis cathedralibus, et regularibus, debet electio prælati fieri intra trimestre. — Quæritur IV. Quæ sit pœna non eligentium intra tempus a jure præfixum? Resp. I. Loquendo de Ecclesiis cathedralibus, et regularibus, si illi, ad quos spectat electio, negligunt eligere intra tres menses, tunc ipsi sunt privati potestate eligendi pro ea vice, ac proximus superior ordinabit Ecclesiam. Ita communis, atque habetur decisum in c. *Ne pro defectu*, 41, h. t. illis verbis: « Ne pro defectu pastoris grægem dominicum lupus rapax invadat; aut in facultatibus suis ecclesia viduata grave dispendium patiat, etc.; statuimus, ut ultra tres menses cathedralis, vel regularis Ecclesiæ prælato non vacet: intra quos (justo impedimento cessante) si electio celebrata non fuerit, qui eligere debuerant, eligendi potestate careant ea vice: ac ipsa eligendi potestas ad eum, qui proxime præesse dignoscitur, devolvatur, » etc.

279. *Trimestre istud est computandum non a die vacationis, sed notitiæ.* — Cæterum dicti tres menses, intra quos electio ejusmodi celebrari debet, sunt computandi non a die vacationis, sed a notitia hujus, textu claro c. *Licet*, 3, de *Supplend. negligent. prælati*, et c. *Quia adversitatem*, 5, § fin. de *Concess. præbend.* Insuper dictum trimestre non currit legitime impeditis, ideoque tempus existentis legitimi impedimenti non est computandum in dictis tribus mensibus: nam constitutio illa, *Ne pro defectu*, est lata dumtaxat contra negligentes; prout liquet ex illis verbis, « Justo impedimento cessante, » et amplius probant Glossa ibid. vers. *Impedimento*.

580. *Etiam prælati Ecclesiarum collegiatarum sunt intra trimestre eligendi.* — Resp. II. Dicta constitutio *Ne pro defectu* h. t. probabiliter extenditur etiam ad illos Ecclesiarum collegiatarum prælatos, qui ordina-

riam, et generalem jurisdictionem in clericis suæ Ecclesiæ, jure speciali exercent. Ita Glossa d. c. *Quia propter*, vers. *Ecclesiis viduatis*. et Abbas in c. *Ne pro defectu*, n. 5, et ibi Imola. num. 5, et Layman num. 2, h. t. Idque desumitur ex identitate rationis: nam tales prælati habentes jurisdictionem generalem, etiam quodammodo sponsi dicuntur, can. *Sicut in unaquaque*, 21, q. 2. Simulque intentio præallegatæ constitutionis fuerat, providere « Ecclesiis viduatis, » ne dispendium patiantur: adeoque tanquam favorabilis, merito videtur extendenda etiam ultra proprietatem verborum, spectata intentione legislatoris, quæ ex identitate rationis in lege, seu memorata constitutione expressæ, salis innotescit, juxta dicta, tit. *de Constitutionibus*, num. 387, 388 et 429.

281. *In aliis prælaturis, ac beneficiis sufficit electionem seu collationem fieri intra sex menses.* — Resp. III. Quantum attinet ad alias prælaturas, dignitates, et beneficia ecclesiastica, sufficit, si electio ipsa, vel eorundem collatio, fiat a die notæ vacantiae intra sex menses: quibus elapsis de episcopo ad capitulum cathedrale, et e contra, ac demum iisdem conferre negligentibus ad proximum superiorem devolvitur collatio. Ita expresse habetur in c. *Nulla*, 2, *de Concess. præbend.* juncto c. *Quia diversitatem* 5, eod. cum concordantiis.

282. *Si electio non sortiatur effectum, eo quod electus non consentiat, vel renuntiet, aut moriatur, habent electores integrum tempus ad novam electionem.* — Resp. IV. Quod si electio intra tempus legitimum celebrata, ex eo non sortiatur effectum, quia electus non consentit, vel post præstitum consensum renuntiat, aut moritur, sive ob occultum ejus vitium, electio irritatur; electores ex tunc (id est, a die dissensus, renuntiationis, mortis, etc.) habebunt integrum tempus ad electionem novam celebrandam, ac si vacatio nova esset; dummodo nihil fraudulenter circa hoc egerint. Ita expresse decisum habetur in c. *Si electus*, 26, h. t. in 6. Et hujus ratio ibidem redditur: quia electores illi jam fecerant, quod spectabat ad ipsos, infra juris terminos eligendo; ac proinde pro matura deliberatione alterius prælati eligendi, merito ad novam electionem illis conceditur tempus integrum, hoc est, trium mensium in cathedralibus, ac regularibus Ecclesiis, vel sex mensium in inferioribus beneficiis; ut explicat Glossa ibidem vers. *Integrum*.

§ XII.

DE PUBLICATIONE SCRUTINII, ATQUE ELECTIONIS; VARIATIONE VOTORUM, ET ACCESSU MINORIS PARTIS AD MAJOREM.

283. *Electio duplex, alia privata.* — Quæritur I. Quid generatim notandum sit circa publicationem scrutinii, atque electionis? Resp. I. Pro evitanda terminorum æquivocatione notandum est, quod in tractatu electionis duplex veluti electio distingui debeat, una *privata*, altera *communis* seu *capitularis*. *Electio privata* idem est, ac singulorum vocalium vocatio, seu suffragatio, per quam videlicet singuli electores secrete, ac singillatim suffragia sua ferunt; de qua loquuntur verba illa, in sæpe cit. c. *Quia propter*, h. t. contenta, ibi: « Qui secrete et singillatim vota cunctorum. » Unde, quia isthæc electio est singulorum eligentium, singulariter dantium sua vota, et consentientium in eum, quem eligunt; jam tot sunt electiones privatæ, quot sunt numero eligentes, ut desumitur ex c. *In Genesi* 55, h. t.

284. *Alia communis, seu capitularis.* — « *Electio communis, seu capitularis*, atque *publica*, » est illa, quæ receptis singulorum electorum suffragiis, et facta eorundem collatione, fit ab uno nomine totius capituli. Et de hac fit sermo in d. c. *Quia propter*, h. t. illis verbis: « Ut is collatione habita eligatur, in quem omnes, vel major et sanior pars capituli consentit. » Insuper de hac fit mentio in c. *Publicato*, 58, eod. ubi post publicatum scrutinium, et consequenter post data a singulis vocalibus vota sua, « dicitur electio celebranda, » videlicet ista communis, seu capitularis. Siquidem integra electio, est veluti actus moraliter unus totius capituli, qui non censetur completus, donec unus nomine totius capituli loquatur, et eligat prælatum illum publice et communiter, quem antea singuli capitulares, vel saltem plures eorum elegerunt secrete ac singillatim. Et hinc invalida est electio, quæ hac ratione non est communiter celebrata, cit. c. *In Genesi*. § *Nec etiam*, 55, h. t.

285. *Publicatio scrutinii, quæ?* — Resp. II. Duplex quoque in tractatu electionis intervenit publicatio, videlicet scrutinii et electionis capitularis. Et quidem *Publicatio scrutinii* aliud non est, quam publicatio votorum in communi; de qua fit mentio in sæpe cit. c.

Quia propter, b. t. ibi: « Vota cunctorum in scriptis redacta mox publicent in communi. »

286. *Et quomodo fiat?* — Quomodo autem hæc publicatio sit facienda, variant nonnihil doctores: nam Suarez. tom. IV, *de Relig.*, lib. II, cap. v, n. 15; Ascanius Tamburinus, tom. I, *de Jure abbatum*, disp. 5, quæst. 6, n. 15. Barbosa, lib. I, *Juris eccles. univ.* cap. XIX, n. 216, et Wagnereck in c. *Quia propter*, vers. *Mox publicent*, h. t., docent, vota publicari in communi, quando integer numerus votorum ætius capituli publice enuntiatur, v. g. dicendo: « Vota, quæ a dominis electoribus exquisivimus, sunt universim viginti, » nondum exprimendo personas, in quarum favorem sunt data. E contra vero alii ad hoc requirunt, quod scrutatores palam coram capitulo electum, vel, si plures sint, electos antequam ad alium actum procedant, nominent, et quot vota quilibet habuerit, pronuntient. Ita tenent Zerola in *Praxi episcopali*, part. I, vers. *Electio*, in *Forma instrumenti electionis*, et Guillel. Mandagotus, tom. XV, *Tractatum*, tract. *de Electione novi prælati*, cap. xxx, dicens, quod vota in scrutinio præstita, debeant publicari in communi, « legendo scilicet coram ipsis (electoribus) intelligibiliter, ac distincte, scripturam vota eadem continentem. » Passerinus cap. XIX, *de Electione*, n. 1 et 4, ac Ludov. Engel. h. t. n. 36.

287. *Publicatio electionis communis, seu capitularis, quæ?* — Altera publicatio, quæ est electionis capitularis, in negotio electionis interveniens, fit, quando decretum electionis capitularis promulgatur, et solemniter publicatur. Et de hac fit mentio in sæpe cit. c. *Quia propter*, § in fin. h. t. ibi: « Electiones quoque clandestinas reprobamus, statuentes, ut quam cito electio fuerit celebrata, solemniter publicetur. »

288. *Quibusque verbis fieri soleat?* — Fit autem communis, seu capitularis electio, ejusque publicatio, hisce vel similibus verbis: « Ego N. nomine meo, et omnium mecum consentientium, eligo N. in episcopum, et electum pronuntio, in nomine Patris, » etc. Vel, si ipse eligens non consensisset, dicant: « Nomine omnium vestrum, qui in ipsum consensistis, » etc. Angelus, vers. *Electio*, n. 26, et alii. Quod si alicubi habeatur specialis formula publicandi electionem, longævo usu approbata, illa in praxi observetur.

289. *Electio clandestina, quæ?* — Cæterum *Electio* dicitur *clandestina*, quæ fit singulariter, et occulte per occulta conventicula; ut

inquit Glossa ibid. § *Clandestinas*. Sive, explicat Fagnanus in cit. c. *Quia propter*, n. 65, electio clandestina est, quando canonice concordant inter se ordinando, ut nihil extra capitulum de electione dicatur. Et talis omnino reprobatur, cum oporteat electionem jam factam solemniter publicari, et quidem quam cito fieri potest, seu absque morali interruptione, ut dictum supra n. 130 et 131.

290. *Electores post publicatum scrutinium variare non possunt, bene tamen ante.* — Quæritur II. An electores variare, seu a dato semel suffragio recedere, illudque mutare valeant? Resp. I. Electores post publicatum scrutinium variare non possunt, bene tamen ante ejus publicationem. Ita communis doctorum. Et quidem prima pars expresse habetur c. *Publicato*, 58, h. t. ibi: « Publicato scrutinio variare nequeunt electores: cum sit facienda collatio, et electio celebranda. » Hæc ibi. Altera vero pars, videlicet electores posse ante publicationem scrutinii variare (id est, a prima nominatione recedere, et alium eligendum nominare) pariter est communis: atque desumitur ex allegatis jam verbis « Publicato scrutinio; » a contrario sensu, ut notat Fagnanus in d. c. *Publicato*, n. 52, h. t. post Innocentium ibid. n. 2. Hostiensem. Joan. Andream, et alios.

291. *Multiplex ratio hujus diversitatis afferatur, et rejicitur.* — Cæterum in assignanda ratione hujus decisionis doctores valde torquentur. Licet enim Glossa in cit. c. *Publicato*, § *Variare*, h. t. quatuor hujus afferat rationes: videlicet, quod per publicationem scrutinii res desinat esse integra; et quod nemini liceat mutare consilium in alterius detrimentum; et quod talis mutatio possit esse damnosa Ecclesiis, ipsam protrahendo electionem; et tandem, quod per scrutinii publicationem electio quodam modo videatur jam finita, sicut per citationem negotium est quasi cœptum, ut c. *Gratum*, 20, *de Offic. delegat.* Nihilominus istæ rationes æque probant, quod non liceat variare ante publicationem scrutinii, contra dicta, num. præced., vel penitus non urgent; ut patet præsertim in tertia ratione: nam cum de jure communi concedatur trimestre, vel semestre tempus ad eligendum, si intra hoc tempus absolveretur electio, nemo dicere posset variationem illam esse damnosam Ecclesiis. Imo et quarta ratio per Glossam adducta nihil urget: ipsa siquidem non videtur vera, cum matrimonium spirituale